INNOCENTIVS PP. XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

1 EXPONI Nobis nuper fecerunt Ven. Frater modernus Archiepiſcopus ac Dilecti Filij Capitulum & Canonici Metropolitanæ Eccleſiæ Hiſpalen. quod aliàs Congregatio tunc exiſtentium S. R. E. Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum antiquas, acerrimaſque contentiones ſuper Iure viſitandi inter Archiepiſcopum ex vna, & Capitulum & Canonicos Exponentes prædictos ex altera Partibus vertentes, dirimendas ſuſcepit, ac proindè propoſito inter cętera in eadem Congregatione die 14. Martij 1689. Dubio:

2 *An dictus Archiepiſcopus poſſet ſolus ſine Conſilio vel aſſenſu Capituli viſitare Metropolitanam, ac Parochiales Eccleſias, & Cappellas eidem Metropolitanæ Eccleſiæ annexas, vel ſubiectas, non obſtante quacumque aſſ. conſuetudine in contrarium.* Eadem Congregatio die 4. Iunij eiuſdem anni reſpondit. *Affirmatiuè*,

3 Ac ſubinde huiuſmodi reſponſum die 25. eiuſdem menſis, itidemq; die 4. Martij 1690. confirmauit;

4 Verum cum in hac poſtrema facti, & iuris diſcuſſione nonnullis dictæ Congregationis Cardinalibus nempè Dilectis Filijs noſtris Gaſpari Carpineo, Franciſco Bonuiſio, Ioſepho de Aguirre Leandro Colloredo, & Fortunato eiuſdem S.R.E. Presbyteris Cardinalibus Caraffa reſpectiuè nuncupatis Concordia ſuper præmiſſis placuiſſet, attento præſertim lapſu quadringentorum vel circiter annorum, quibus Capitulum & Canonici præfati priuatiuè quoad Archiepiſcopos Hiſpalen. pro tempore exiſtentes in quaſi poſſeſſione viſitandi reperiri dicebantur Dilecto Filio moderno ſeù tunc exiſtenti eiuſdem Congregationis Secretario demandatum fuit vt Concordiam huiuſmodi, quam antea Dilectus pariter Filius noſter Franciſcus Maria S.R.E. prædictæ Cardinalis Medices nuncupatus partibus ſupradictis propoſuerat fel. rec. Alexandro PP. VIII. Prædeceſſori noſtro inſinuaret.

5 Vnde facta per ipſum Secretarium eidem Alexandro Prædeceſſori die 14. Martij eiuſdem anni 1690. de præmiſſis relatione dictus Alexander Prędeceſſor Concordiæ ineundæ huiuſmodi benignè annuit, illam dummodò in prædicta Congregatione approbaretur per ſuas in ſimili forma Breuis expediendas Litteras confirmaturus, vno interim ex Congregationis huiuſmodi Cardinalibus pro qualibet ipſarum partium in arbitratorem electo.

6 Quare vocatis illicò per dictum Secretarium ijſdem partibus, eiſque mente ipſius Alexandri Prædeceſſoris ſignificata, Partes præfatæ Concordiæ huiuſmodi adhæſerunt, ac modos & formas, quibus illa iniri poſſet, ipſi Secretario in ſcriptis tradiderunt, nempè

7 Dilectus Filius Agens ſeu negociorum geſtor memorati Archiepiſcopi non recedendo tamen à Decretis fauorabilibus eiuſdem Congregationis, & ad normam Concilij Tridentini cumulatiuæ viſitationi Capituli præfati cum Archiepiſcopo etiam quoad Spiritualia conſenſum præſtare paratum ſe dixit, ſalua tamen ratihabitione eiuſdem Archiepiſcopi, cum ad id neceſſaria facultate careret, ac inſimul pro expeditione Decreti à prędicta Congregatioue d. die 4. Martij 1690. emanati inſtetit.

Dile-

8 Dilectus verò etiam Filius Agens seu negociorum gestor eorundem Capituli & Canonicorum pro Decreti huiusmodi retentione institit, & ad effectum ineundi Concordiam proposuit non denegandum esse d. Archiepiscopo Ius visitandi Metropolitanam,& illi annexas Ecclesias cum duobus tamen Adiunctis à præfato Capitulo nominandis, ipsumque Archiepiscopum per se solum posse visitare in concernentibus Curam Animarum.

9 Intereà dicta Congregatio lecto in ea per tunc existentem ipsius Congregationis præfectum supplici libello pro parte Agentis, seu negociorum gestoris dicti Archiepiscopi eidem Congregationi porrecto, quo Decretum supradictum relaxari petebat.

10 Die 18. Martij eiusdem anni 1690. rescripsit, *quod expediretur Decretum, & postea procuraretur Concordia, & Partes eligerent vnum sibi beneuisum ex Cardinalibus dictæ Congregationis.*

11 Postmodum verò memoratus Alexander Prædecessor particularem Congregationem trium eiusdem S.R.E.Card. pro Concordia huiusmodi super omnibus Controuersijs tam decisis, quàm deciden. inter partes præfatas verten. pertractanda deputauit, ac per tunc existentem Auditorem suum Secretario prædicto oretenus prius ac subinde per rescriptum die 22. Septembris 1690. emanatum, mandauit vt ad præmissorum effectum eandem particularem Congregationem Cardinalium conuocaret.

12 Quocircà in vim rescripti huiusmodi in actis Dilecti Filij cognominati Florelli primodictæ Congregationis Notarij iudicialiter exhibiti partibus prædictis coram eodē Secretario citatis ad concordan. quænā Dubia pro particulari Congregatione huiusmodi prima vice habenda essent præligenda; An scilicet iam decisa, vel potiùs indecisa, Eædem partes per acta supradicti Florelli decem Dubia ex quamplurimis proponenda concorditer selegerunt, quorum tenor est qui sequitur videlicèt:

13 Primò; *An Archiepiscopus possit visitare solus sine Adiunctis Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, eiusque Capitularium personas?*

14 Secundò; *An Archiepiscopus possit solus sine Consilio, vel assensu Capituli visitare Ecclesiam Cathedralem Parochiales, & Cappellas d. Cathedrali annexas, vel subiectas non obstante quacumque asserta consuetudine in contrarium?*

15 Tertiò; *An Archiepiscopus possit solus, & sine Adiunctis visitare Fabricam Ecclesiæ Cathedralis, eius Bona, & redditus, Mensam Capitularem fundationes, & dotationes, & alia opera pia ipsi Cathedrali aggregata, vel annexa, nec non res, & bona Capituli, eorumque Administrationes?*

16 Quartò; *An ipse Archiepiscopus possit solus, & sine Adiunctis tàm in actu visitationis, quàm extrà exigere rationem Administrationis Decimarum à Capitulo, eiusque Administratoribus, quamuis super illis Archiepiscopus habeat Interesse?*

17 Quintò; *An vocante Archiepiscopo ad visitationem, seù in ea demandante aliquid Canonicis, seù Præbendatis, & quibuscumque Officialibus Fabricæ, & alterius Operis Cathedralis dictam visitationem eiusque actus concernens in casu illorum non accessus & inobedientiæ possit contra eos procedere per Censuras sine Adiunctis, & quomodo tali casu se se continere debeat Archiepiscopus?*

18 Sextò; *An pertineat ad Capitulum aliquod Ius visitandi iurisdictionaliter Ecclesiam Cathedralem, & alias Ecclesias ipsi Cathedrali annexas?*

19 Septimò; *An ad Archiepiscopum vel ad Capitulum pertineat administratio Seminarij instituti in Ciuitate Hispalen. ad effectum educandi Pueros pro seruitio Ecclesiæ, & quomodo, vel cum quo Consilio, & Consensu spectet d. Administratio Cura, & Regimen dicti Seminarij?*

Octa-

20 Octauò; *An possit Archiepiscopus visitare dictum Seminarium illiusque personas, res & bona, & an in Visitatione adhibere debeat Consilium duorum Canonicorum, quos ipse elegerit, vel potiùs visitare debeat cùm Adiunctis deputatis à Capitulo?*

21 Nonò; *An & quam Iurisdictionem possit Archiepiscopus exercere in Hospitale sub Inuocatione Sanctæ Martæ existen. in Ciuitate Hispalen., & quomodo ipsum eiusque personas, res & bona possit visitare?*

22 Decimò; *An & quam Iurisdictionem Archiepiscopus valeat exercere, & quomodo debeat visitare Monialium Monasterium sub Inuocatione Incarnationis Domini existens in dicta Ciuitate Hispalen.?*

23 Porrò cum decem Dubia huiusmodi in particulari Congregatione Cardinalium à supradicto Alexandro Prædecessore, sicut præmittitur deputata, & à Nobis subindè confirmata, & aucta respectiuè diebus 3. Ianuarij, & septima Septembris 1692. ac 27. Iunij, & 29. Nouembris Anni 1693. proposita fuissent ab eadem particulari Congregatione pro temperamentis Concordiæ, vt præfertur ineundæ, emanarunt responsa tenoris sequentis videlicet.

24 Ad primum ex præinsertis decem Dubijs, *quod Archiepiscopus solet, visitet cum assistentia, & Consilio duorum de gremio Capituli eligendorum ab eodem Capitulo, ita tamen, vt Consilium præfatum oretenus siue in scriptis in eodem actu præstandum non teneatur sequi Archiepiscopus.*

25 Ad secundum, *vt ad primum.*

26 Ad tertium; *Quoad mensam Capitularem, res & bona Capituli, non tamen pijs operibus destinata teneri Archiepiscopum in visitatione adhibere Adiunctos cum requisitis Sacri Concilij Tridentini* cap. 6. sess. 25. & in reliquis, *vt ad primum.*

27 Ad quartum; *In actu visitationis, vt ad primum,* extra verò visitationem *ex Iure sibi competente tanquam vni ex interesse habentibus.*

28 Ad quintum; *Affirmatiuè cum temperamento ad primum, vt suprà quo ad præparatoria, & respicientia prosecutionem visitationis.*

29 Ad sextum; *Posse concedi cumulatiuam, non tamen eodem tempore, & seruata forma Concilij Tridentini* cap. 3. sess. 24. *Ita tamen, vt in contrarietate, seu incompatibilitate Decretorum præualeant Decreta Archiepiscopi.*

30 Ad septimum; *Administrationem competere Capitulo.*

31 Ad octauum; *Affirmatiuè iuxtà formam Concilij Tridentini* cap. 18. sess. 23. vers. & quia.

32 Ad nonum; *Posse exercere Iurisdictionem ad formam Concilij Tridentini* cap. 8. & 9. sess. 22.

33 Ad decimum; *Posse Archiepiscopum exercere Iurisdictionem Delegatam tantum ad formam, & Limites Constitutionis san. mem. Gregorij XV. inscrutabili la 18.*

34 Cum autem sicuti eadem expositio subiungebat exponentes prædicti responsa, seu temperamenta huiusmodi mediantibus eorum Procuratoribus ad id specialiter constitutis vigore mandatorum in Secretaria Congregationis primo dictæ, & pœnes acta supradicti Notarij in publicam, & authenticam formam exhibitorum in forma Iuris valida vnanimiter, ac reciproce acceptauerint.

35 Illa vero quo perpetuis futuris temporibus firmius subsistant, & seruentur exactius Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desiderent.

36 Nos inuiolabili præmissorum robori, & efficaciæ quantum cum Domino possumus prouidere cupientes, ipsosque exponentes specialibus fauoribus,

ribus, & gratijs prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, alijsque Ecclesiasticis, sententijs, censuris, & pœnis à Iure, vel ab homine quauis occasione, vel Causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati de memoratæ particularis Congregationis Cardinalium Consilio præinserta responsa, seu Temperamenta ab ipsa particulari Congregatione ædita, seu proposita, illorumque acceptationem à Partibus prædictis factam, vt præfertur auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & singulos Iuris, & facti, etiam solemnitatum quarumcumque in similibus etiam de necessitate obseruandarum, & alios quoslibet defectus, si qui desuper quouis modo interuenerint seu interuenisse dici, censeri, intelligi, vel prætendi possent supplemus, & sanamus.

37 Decernentes easdem præsentes Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab eis respectiuè perpetuò inuiolabiliter, & inconcusè obseruari.

38 Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Iudices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales etiam de latere Legatos,& Apostolicę Sedis Nuncios aliosque quoslibet quacumque pręeminentia,& potestate fungentes,& functuros sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter,vel ignoranter contigerit attentari.

39 Non obstan. præmissis, ac Apostolicis, & in vniuersalibus, Prouincialibusque, & Synodalibus Concilijs æditis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & ordinationibus, nec non quatenùs opus sit dictæ Ecclesiæ Hispalen., alijsue quibusuis etiam Iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, Priuilegijs quoque Indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis, quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscumque.

Dat. Romæ apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die 30. Ianuarij 1694. Pontificatus nostri Anno tertio.

Loco ✠ sigilli.

I. F. Cardinalis Albanus.

ROMÆ, Typis Reuerendæ Cameræ Apostolicæ. MDCXCIV.